

gradum partis fortunæ & Mercurium aptet, si retrogradus fuerit, cum Ioue & Venere iungatur. Præterea ut quorundam sententia est, Luna in Leone, Scorpione, aut Sagittario existente bonum est ei qui mutuo accipit uel dat. Quòd si in principio istorum signorum fuerit, malum erit danti. In restitutione autem Luna in Aquario, uel Piscibus lumine deficiens, plurimum ualebit, seruat conditionibus paulo supra positis.

Peregrinandi, legationesq; mittendi tempora oportuna seligere, Canon XVIII.



Vlla euidens electio super rebus in propositione compræhensis sine notitia genituræ aut reuolutionis anni eius, qui aliquid horum onerum subiturus est, fieri potest. Habita igitur genitura, aptabis locum Lunæ & ascendens natiuitatis, aut reuolutionis, & domum significantem rem, quam quis petiturus est. Nam si ea fortunata fuerint, propositum suum consequetur, sin minus, minus prospere ipsi succedet. Signum aut eiusdem domus tempore natiuitatis, aut reuolutionis in ascendens locum constituetur. Præ omnibus autem nona domus & eius dominus sint fortunati. Nec illud minus aduertendum, quòd applicatio Lunæ ad planetas, qui significatores earum personarum sunt obseruetur. Multum enim ex his fortunæ, infortunijq; depræhendi potest. Præterea refert per aquas ne, an per terram quisquam iturus sit. Nam si terrestre iter instituitur, signa terrea commodum locum habebunt, si per aquam, signa aquea. Fixa aut mobilia, prout quis citius tardius ue rediturus, pro uoluntate eligentur. Inter hæc Lunam oportet felicibus radijs fortunari, & in bono loco, unà cum fortunis statui, infortunis, quarum ante sæpe mentio facta est, in locis deiectis constitutis. Adijcienda sunt his, quæ Ptolemæus uerbis 41. & 55. annotauit. Cauere scilicet tempore discessus loci octauis, dominicisq; eius afflictionem, & secundi atq; eius domini tempore reditus. Martis etiam uim noxiam aduersus naues imminui, cum neq; in cœli medio, neq; undecimo est loco. In his enim locis solet nauem corrumpere, prædonibus per uim occupantibus, incendi aut nauem, si ascendens ab aliqua stella fixa, quæ ex Martis mixtura sit, affligetur. At si quis illa agere, quæ dicta sunt occulte uoluerit, id commode perficere poterit, si Luna & eius dominus, sub radijs solaribus constituti fuerint fortunis applicantibus, & hoc si Luna ab impedimentis omnibus prius enumeratis libera fuerit.

Venari quando optimum sit, reperire, Canon XIX.



Vi commodo & opportuno in tempore uenari uoluerit, obseruare debet, ut ascendens sit signum mobile, & Luna sit in medio cœli constituta, & à Ioue fortunata & illustrata, ea conditione, ut Iupiter ascendens Mars septimam possideant, Saturnus uero cadens, aut, ut ascendens non irradiet. Venus uero, aut in ascendente, aut cœli medio existat, Luna ei applicante. Omnium autem est optimum, si Luna in Cancro fuerit, Ioue Pisces tenente, ea lege, ut Luna Ioui applicet. Præterea refert, an in aqua quis, an terra uenaturus sit. Quòd si terrestris uenatio in animo est, Luna in Ariete, Leone aut Sagittario locū habeat, Marti beneuola, radiatione applicando. Si uero in aqua uenari uoluerimus, Luna